



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Arnoldi Corvini à Belderent J. U. D. Jus Canonicum, Per  
Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

De sequestratione possessionum & fructuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

Lite pendente , nec judici , nec adversario , licet , sive propriâ , sive etiam Principis auctoritate , sine causæ cognitione aliquid innovare.

Unde privilegium vel rescriptum , lite pendente imperatum , si de hoc expressè mentionem non faciat , non valet . c. 1. & c. ult. hic . c. causam . 19. de testib. & attestat.

Nec , matrimonio ob causam consanguinitatis accusato , alter conjugum jure suo privari potest , quousque consanguinitas fuerit probata . c. 2. hic .

Si tamen , dum super primo matrimonio lis pendet , secundum rite sit contractum , hoc , si primum declaretur fuisse nullum , pendentis litis obtentu irritari non poterit : c. cum in Apostolica . 18. de sponsal.

Alioqui quod lite pendente innovatum , nullum est ; & qui innovavit , in expensas damnatur , & jure sibi competente privatus , infamis efficitur . c. pen. & ult. C. ut lite pend nulli lic. Imper. supplic.

### *De sequestratione possessionum & fructuum.*

T I T. XXIV.

**N**on solùm contumacia Rei missione in possessionem punitur , & aliis modis , de quibus titulo proximum præcedente diximus ; sed & Sequestratione . c. 2. de dolo & contum.

Ea est rei controversæ , vel fructuum ejus apud Sequestrem , contendentium consensu , vel judicariâ auctoritate facta depositio , ut ab eo custodiatur , & lite finitâ vitori restituatur . l. licet . 17. ff. depoſ. l. sequester . 110. de verb. sign.

Est vel *conventionalis* , quando libera voluntate contendentes ex sponsione rem deponunt : vel *judicialis* ; quæ fit mandato Judicis inter litigatores .

Hæc , cùm ab executione non sit incipiendum , l. i. C. de execut. rer. jud. nec alicui temerè possessio (cujus magna est

est commoditas. §. *commodum.. Inst. de interd.*) auferenda:  
*can. 2. volumus. 16. qu. 4. c. 2. ut lite pend. nihil. innov.*  
*c. 1. hic. c. causam matrimonii. 16. de offic. jud. deleg. tan-*  
*tum certis casibus fieri potest.*

Nempe 1. Si Iudex veretur, ne partes ad arma & rixas  
procedant: *l. 13. §. 3. ff. de usufr.* 2. Missus in possessio-  
nem fructus dissipet: *c. dilectus. 2. hic.* 3. Maritus uxoris  
virginis, matrimonium contractum negantis, restitutio-  
nem petat: *c. cum locum. 14. de sponsal.* 4. Uxor, cuius  
restitutionem maritus postulat, de lævitia viri probabili-  
ter timeat: *c. ex transmissa. 8. & c. literas. 13. de restit.*  
*spol.* 5. Denique si periculum in mora sit.

Sequestrari possunt res mobiles, ut fructus, *c. 1. 2. hic.*  
instrumentum, *l. ceteræ. 4. §. fin. & l. seq. ff. fam. ercise.*  
immobiles, ut Ecclesiæ, *c. examinata. 15. de judic. prædia.*  
*l. ab executione. 5. C. quor. appell. non recip.*

Non tamen sequestrari potest beneficium, si ejus trien-  
nali possessori moveatur quæstio; *Clem. un. hic.* potest, si  
non triennali possessori. *d. Clem. un.*

Transfert in sequestrem possessionem conventionalis  
sequestratio; nisi convenerit, ut tantum detineat: *l. 17. §.*  
*1. ff. depos.* Unde ratione possessionis jus habet fructus  
percipiendi; beneficia præsentandi; si fortè apud eum Ec-  
clesiæ & juris patronatus sequestrum factum est. *Felin. in*  
*c. Bertholdus. de sent. & re jud. Gl. in Clem. hic.*

Iudicialis sequestratio non transfert possessionem; sed  
eam, quoniam est dubia, relinquit in suspenso, donec vel  
partes inter se de lite amicè convenerint, vel judicis senten-  
tiâ, quis possessor sit, & esse debeat, declaretur. *c. 1. & 2.*  
*hic. l. 39. ff. de acquir. poss.*

Sequestrationem beneficii Ecclesiastici legitimè factam  
qui impedit, vel fructus sequestratos occupat, excommu-  
nicationem ipso facto incurrit, à qua non nisi impedimen-  
to amoto, & fructibus restitutis, absolvitur: si ex litigan-  
tibus sit, beneficio, vel jure quod in eo habeat, nibilomi-  
nus amissio. *d. Clem. un.*